



F

IOHANNIS CHRYSOSTOMI DE SACERDOTIO LIBRI VI.

EX

RECENSIONE BENGELII

CUM EIUSDEM

PROLEGOMENIS, ANIMADVERSIONIBUS INTEGRIS ET INDICIBUS

EDIDIT

SUASQUE NOTAS

ADIECIT


AENOTHEUS EDUARDUS LEO,

AA. MAG., DRESDAE AD AEDEM FRIDERICOPOLITANAM DIACONUS ET SOCIETATIS HISTORICO-THEOLOGICAE LIPSIENSIS SOCIUS ORDINARIUS.

LIPSIAE,

IMPENSIS LUDOV. SCHUMANNI

1834.



PRAEFATIO.

Quamvis negari nequit, aequales nostros hanc potissimum ob causam summam mereri laudem, quod omni studio, omnique intentione curarunt, ut juvenes liberalium artium studiosi in academiis nostris justa linguarum veterum, imprimis Graecae atque Latinae, imbuerentur cognitione, scriptorum veterum opera a vitiis mendisque purgatissima in lucem prodirent, et ab acutissimi ingenii viris in scholis publicis explicarentur; saepius tamen miratus sum, cur hac ipsa aetate, in illa ecclesia, cui nos adhaeremus, tam pauci extiterint viri docti, qui libros patrum ecclesiae corrigerent, explicarent, interpretarentur. Nam habet profecto horum scriptorum lectio assidua, quo commendetur. Ut nimirum taceam, eos potissimum viros, qui accuratius ediscere student dogmatum ecclesiae Christianae historiam, supersedere omnino non posse diurna nocturnaque patrum ecclesiasticorum pertractatione; quivis simul, qui vel extremis labiis attigit illa scripta, facile nobis largietur, nonnullos illorum auctorum libros et ob sermonis sublimitatem, et ob argumenti gravitatem, pluribus scriptorum ethnicorum scriptis non solum aequiparandos sed etiam praeferendos esse. — Quare non satis gratias agere possum viro et de literis theologicis, et de academia Lipsiensi, et de me ipso optime profecto merito, *Christiano Friderico Illgenio*, qui, postquam jam ante hos decem annos in societatem historico-theologicam, quae Viri vere Venerabilis gaudet praesidio, me receperat, mihi una cum *Braeunigio*, *Heinichenio*, *Schumanno*, quorum nomina in orbe literario jam non sine laude nominantur, primum partem historiae ecclesiasticae ab Eusebio conscriptae, deinde

hos ipsos, quos iterum in lucem emisi, dulcissimos Chrysostomi de sacerdotio sex libellos indefesso studio explicuit, et ita nobis ad patrum ecclesiasticorum scripta recte intelligenda viam sternere studuit. Jam quum in his ipsis scholis aliquos locos, quorum difficultates Vir Venerabilis indigitaverat, quos tamen in ipsis scholis prolixius explicare temporis vetabant arcti limites, mihi notassem eo consilio, ut privatim accuratiorem iis impenderem operam, saepius lectis atque relectis illis de sacerdotio libris, sensim sensimque hic, quem jam videtis, increvit commentarius. Et hunc commentarium, non quidem propterea, quod in me ipsum inde aliquid laudis redundaturum esse opinatus essem, — scio enim, quam sit curta supellex, — sed ut aliis ad hoc eximium Chrysostomi opus aditus strueretur, una cum textu Graeco primum seorsim edere constituebam. At quum *Bengelii* *), summi superioris seculi theologi, in hos Chrysostomi libros commentarium, dignum profecto, qui nostra etiam aetate legeretur, prostare non amplius, comperissem, mutavi jam prius consilium, et has ipsas Bengelii animadversiones edendas iterum curavi. Quibus quidem Bengelii notis meas qualescunque animadversiones interposui et ab illius viri animadversionibus siglo *L.* semper distinxi.

Fortassis sunt nonnulli, qui dicant, me rem omnino nimis difficilem in me suscepisse, quum patres ecclesiae explicare non tironum sit, sed veteranorum. Et si explicandos mihi sumsissem patres ecclesiae minus elegantes, v. c. Irenaeum, Epiphanium aliosque, jure sane subirem hanc vituperationem, ad Chrysostomi vero scripta intelligenda et ad hos imprimis de sacerdotio libellos explicandos non tam opus esse videtur ma-

*) Vid. de hoc dialogo a Bengelio edito *Acta Eruditorum* T. 108. *Bibliotheque ancienne et moderne.* T. XXVI. Et ipse *Buddeus* in *Isagoge* p. 109. dicit hanc editionem „ut summo studio exornatam, ita et ob notas variorum selectas et complures novas Cantabrigiensi praeferendam."

gna et exquisita ecclesiasticorum scriptorum sermonis cognitione, quam potius paulo arctiori cum scriptoribus Graeciae vetustioribus consuetudine. Tanta enim in hoc Libanii discipulo, qui ab aurea orationis elegantia nomen adeo duxit, est ubertas, tanta urbanitas, tanta denique verborum suavitas et elegantia, ut saepius non ecclesiae doctorem, sed Platonem vel Xenophontem, vel similem Atticum scriptorem legere tibi videaris. Quam quidem ob causam saepius provocavi etiam ad profanos scriptores, maxime ad illos, quos antea vocavi. Imprimis ante oculos habui in hoc commentario adornando exemplum *Christ. Frid. Matthaei*, Professoris Vitebergensis, qui quatuor Chrysostomi homilias anno superioris seculi nonagesimo secundo, eo consilio edidit, ut „ad reliqua Chrysostomi opera legenda praepararet juvenes,“ et hanc ipsam ob causam non solum criticas notas, sed maximam partem exegeticas et grammaticas animadversiones exhibuit.

In textu, quum Codices mihi non praesto essent, pauca tantum mutavi. Et quamvis multis VV. DD. non placebit ea ratio Bengelii, qua saepius in locis turbatis, ubi plures extabant lectiones variae, mediam lectionem praetulit *), nemo tamen negabit, virum beatum in universum satis sobrie esse versatum in textu constituendo. Ubi recedendum esse existimavi a textu Bengelii, in notis id indicavi. Maximae profecto difficultates cuivis hujus dialogi editori oriuntur ex glossis **), quae, quum hic dialogus olim saepissime

---

*) Vid. *Hasselbachii* praefatio libri: *Des heiligen Chrysostomus sechs Bücher vom Priesterthum.*

**) Cf. quae dicit *Bernhardtus Thierschius*, vir et ob doctrinae copiam et ob ingenii acumen et elegantiam maxime conspicuus, in libro a se edito: *Urgestalt der Odyssee.* p. VII, in nota subjecta, ubi de arte critica, quae in interpolationibus investigandis imprimis versari debeat, ita loquitur: *Besonders anwendbar ist sie in der Patristik. Denn das geht vom Vater Homer bis auf die christlichen Väter herauf. Hier hat die so nothwendige Kritik schier noch nichts gethan, und scheint man in den wahren ζόφος zu kommen. Ge-*

lectus sit, crebrius irrepserunt in textum *), et ita saepe comparatae sunt, ut eas a verbis Chrysostomi vix discernere possis. Sic, ut unum afferam exemplum, paragrapho 545. leguntur verba: ἣν ἕτεροι μὲν ἄσκησίν τινα εἶναι νομίζουσιν. Ibi post τινὰ in Cod. Palatino additum legitur θαυμαστὴν, quod recte Bengelius aliis Cdd. monitus pro vocabulo insititio habet. Sed quis quaeso h. l. suspicaretur glossema, si in omnibus libris manu exaratis hoc adjectivum legeretur? Similia exempla in quavis fere pagina occurrunt.

Quod attinet ad orthographiam, et verborum interpunctionem, quae est in Bengelii editione, plura mutavi. Quamvis enim particulas ὅτ' ἂν, ὁπότ' ἂν etc., quae sejunctim leguntur apud Bengelium, et infinitivum verborum contractorum in άω desinentium, semper a Bengelio sine iota subscripto scriptum, titubantibus in his rebus Viris Doctis, retinui, tamen commata, a priore hujus libri editore cumulata, saepius delevi, quum nimia verborum interpunctione verba magis obscurari quam illustrari constet. Contra verbum φησὶ, quod in hoc dialogo in initio sermonum Basilii cum Chrysostomo colloquentis persaepe legitur, nonnullorum VV. DD. exemplum secutus, per commata a reliquis verbis sejunxi, ita, ut retineret accentum suum, quem retraxerat Bengelius.

Versionem, quam textui addiderat Bengelius, Latinam, omisi, quia dialogus ipse, nonnullis locis exceptis, non ita

---

wöhnlich geht es, wie das denn Sitte ist, für und gegen. An etwas Drittes, an Interpolationen, wird nicht gedacht. Und wie viel Ursache hatte die jüngere Kirche, ihre ältesten Schriftsteller zu interpoliren. So liegt der Streit über die Epistel des Clemens von Rom noch unentschieden, obgleich ein Hugo Grotius und Isaak Vossius daran Theil nahmen. Der Brief ist allerdings ächt, und man kann die Interpolationen ziemlich genau nachweisen, wenn man sich die Mühe giebt, den Brief nach den Excerpten des Clemens v. Alex. zu messen. etc.

*) Vide, quae notavit *Bengelius* ad §. 465.

difficilis est, ut non commode a viris graecae linguae gnaris possit intelligi. Locis tamen, qui difficiliores videbantur, in notis vel ipse versionem supposui, vel *Crameri* *), seu *Ritteri* **) seu etiam *Hasselbachii* ***) interpretationem vernaculam addidi.

Tres addiderat Bengelius suae editioni indices, quorum priores duos auxi, tertium vero, quia continebat tantum ea verba in hoc Chrysostomi libro obvia, quae in Lexico N. T. ab editore curato non reperiebantur, omisi.

Caeterum non solum speramus, verum etiam confidimus, Viros Doctos, si vel improbaturi sint nostras animadversiones, non tamen improbaturos esse hoc, quod edendo hoc Johannis nostri dialogo ad eum legendum aliis viam iterum paravimus. Nos certe non dubitamus, fore, ut omnes accuratiori studio hunc librum perlegentes eodem gaudio fruantur, quo eo legendo saepius nos fruitos esse libenter profitemur. *Οὐ γάρ ἐστιν, οὐκ ἔστι καρδία,* inquit Isidorus Pelusiota †), ἣν ἐπῆλθεν ἡ ταύτης ἀνάγνωσις, καὶ πρὸς τὸν θεῖον

---

*) *Joh. Andreas Cramerus* una cum aliis viris doctis transferebat in linguam theodiscam opera Chrysostomi et hanc versionem edebat Lipsiae 1748. Versio hujus de sacerdotio dialogi legitur T. I, p. 17—216 et a Cramero ipso elaborata est. Non tamen omni ex parte probata est haec translatio justis harum rerum arbitris, quia saepius paulo est liberior, et magis sensum textus Graeci, quam verba Graeca ipsa reddit. Exemplis non opus est.

**) Optime sine dubio in linguam vernaculam hos de sacerdotio libros transtulit *J. Ritterus*, ecclesiae pontificiae theologus, et prodiit in lucem haec versio Berolini anno hujus seculi vicesimo primo. Ad calcem additae sunt animadversiones maximam partem historicae.

***) Non sine summa diligentia curavit *K. F. W. Hasselbachius* versionem theodiscam hujus libri, quam tamen, quia verbum verbo reddere studuit Vir Doctissimus, paucis tantum placuisse audivi. Mihi tamen hic Hasselbachii liber Stralsundii anno CIƆIƆCCCXX editus et ob prolegomena lectu dignissima et ob varias lectiones versioni suppositas multum sane profuit, quod grato animo profiteor.

†) Libr. I. Epist. 156. Cf. *Du Pin. Biblioth. Auct. Eccles.* T. III, p. 52.

αὐτὴν οὐκ ἔτρωσεν ἔρωτα. Et hoc nostro quidem tempore, quo multi quavis ratione, quibusvis machinis contra evangelii doctores agunt, eosque non oblique, sed aperte satis perstringunt, munus nostrum in contemtum adducunt, ludibrio exponunt, derident, opus sane esse videtur, ut induamus τὰ ὅπλα τοῦ φωτὸς καὶ τῆς δικαιοσύνης, quae porrigit nobis in hoc libro gravis ille ecclesiae Byzantinae episcopus, et ut in dies magis crescamus vitae sanctimonia et integritate, fidei firmitate, animi constantia.

Scribebam Dresdae die X. ante Calendas Junias C'Ↄ'ↃCCCXXXIV.

PRAEFATIO BENGELII. *)

Chrysostomi de Sacerdotio libros sex, lector, luci redditos vides, non dubio, si DEUS, quod confidimus, annuerit, Christianae Scholae emolumento. Novi Testamenti scriptura Graeca ipsa; veteris, Graeca interpretatio, non perpetuitatem solum huic linguae et necessitatem, sed etiam amplitudinem quandam conciliat; ut ad interpretationem ejus, quorumvis scriptorum, qui eodem sermone usi sunt, collatio, diversis modis requiratur. Idcirco in optimis quibusque acroateriis cum volumine N. T. quod primas sibi merito suo vendicat, auctor aliquis Graecus conjungi solet: qui quo plures majoresque praeterea utilitates praestat, eo dexteriore judicio delectus existimari debet. Christianis qui palmam tribuunt, horum alius alium commendat. Equidem cum à primis muneris mei temporibus, suscepto Graeco quoque penso, Chrysostomum de Sacerdotio cognossem; ita statui, hunc potissimum adolescentibus Theologiae et ministerio ecclesiastico destinatis posse propinari. Ipse quin eximium Christi organon sua aetate fuerit, cujus utilitates ad omnem posteritatem fidelium dimanarint, nemini ambiguum esse debet. Iuvenem se ipse, reliquo tempore mundus eum exercuit. E secessu religiosissimo ad Ecclesiae gubernationem productus, omnia ea bona, quae in utraque vivendi ratione insunt, sociavit. Naevi, qui in eo notantur, aut ab ipso agniti fuere, solidisque virtutibus pensati; aut plane virtutes fuere, ab aliis non agnitae. In sermonibus et scriptis ejus animus spirat sincerus erga Deum, paternus erga auditores, illorum suaeque salutis sitiens, et sine amaritudine vehemens: doctrinae genus sanum et omnibus aptum; nec abstrusa affectans, nec profana admiscens: oratio nativa, perspicua, efficax. Neque tamen tam ipse in doctoribus ecclesiae, quam in tot ejus monumentis hoc ipsum de Sacerdotio excellit.

---

*) Praemiserat b. Bengelius huic praefationi *prodromum N. T. Graeci adornandi*, quem tamen, ne libri moles nimium augeretur, omisi. *L.*

Veterum suffragia collegerunt eruditi. Nam Isidorus Pelusiota Epist. 156. lib. 1. ad Eustathium: *Ego librum, quem requisisti*, inquit, *misi, et fructum ex eo per te exspectavi, quem omnes capere solent. nullum enim, nullum pectus legendum hunc suscepit, quod is non sauciarit amore divino; venerandum quiddam adituque arduum demonstrans esse sacerdotium, at rationem ejus sine culpa obeundi tradens.* (ὁ γὰρ τῶν τοῦ Θεοῦ ἀποῤῥήτων σοφὸς ὑποφήτης) *nam Dei arcanorum sapiens ille internuncius Johannes, Byzantinae atque adeo totius ecclesiae ocellus, librum illum tam* (λεπτῶς καὶ πυκνῶς ἐξηκρίβωσεν) *subtiliter et spisse exegit, ut omnes, et qui divinitus et qui segniter sacerdotio funguntur, hic suas virtutes, suaque vitia inveniant.* *SVIDAS* in Ἰωάννης· *Hic multa conscripsisse dicitur, in quibus libri de sacerdotio excellunt*, (τῷ τε ὕψει καὶ τῇ φράσει καὶ τῇ λειότητι καὶ τῷ κάλλει τῶν ὀνομάτων) *sublimitate, dictione, lenitate, et elegantia vocabulorum.* *ANONYMVS* scriptor Vitae Chrysost. inter ejus Op. ed. Savil. T. 8. p. 300. *Sacros de sacerdotio cum Basilio colloquens concinnavit libros, ubi et sublimitatem et majestatem divini ministerii, quanta ea sit, demonstrat, et* ἀπόλογον (fort. ἀπολογίαν) εὔλογον, *defensionem convenientem fugae suae exhibet.* *SYMEON* Metaphrastes ibid. p. 378. ἐν ταύτῃ τῇ ψιλησύχῳ διαγωγῇ, *in hoc secessu, etiam libros de sacerdotio composuit, ubi dignitatem sacerdotii, et qualem oporteat esse sacerdotem,* ἀκριβῶς *accurate ostendit.* Nec minus ponderis habere debent recentiorum de his libris judicia. Praeclare ante omnes ERASMVS in Dedic. ed. suae ad Pil. Pirkeimerum: *Mitto ad te Jo. Chrys. dialogos sex, in quibus mira copia tractat, quanta sit dignitas episcoporum; et rursus, quam res sit ardua, vere gerere munus episcopi. Dices: quid istuc ad me? audies. Eruditi quidam literis hoc a me postularunt, ut studiosis gustum aliquem praeberem Chrysostomi sua lingua loquentis; cujus admirabilem suaviloquentiam deprehendunt in libris ejus utcunque translatis, atque hinc coniectant, quanto plus tum fructus tum voluptatis capturi sint, si liceat ex illo felicissimo amne haurire, qui ex ore vere aureo velut ex fonte ditissimo promanant. Nam eo jam ubique profecerunt Graecanicae literaturae studia, ut interpretum opera non sit ita multis necessaria, etiamsi Chrysostomum haberemus feliciter versum. nunc nec totum habemus, et quod habemus, habemus incuria scribarum multis mendis inquinatum: deinde non ea felicitate translatum, quam merebatur autoris vel erudita facilitas vel pia jucunditas. Hoc laboris eo libentius suscepi, quod Chrysostomus non tantum utilissimus est magister ad Christianam facundiam, quod*

unus omnium eruditam pietatem cum populari conjunxit eloquentia; verum etiam quod inprimis videatur accommodus iis, qui Graecanicae facundiae sunt candidati. Habet facilitatem, perspicuitatem, suavitatem, copiam, cum Luciano communem: sed in hoc sunt permulta, quae sic ingenium expoliunt, ut animum vitient; quum interim Chrysostomus non minus conferat animorum pietati, quam linguarum elegantiae. Frequens ac multus est in tractandis locis communibus ac pene nimius, nisi tam hic peccaret feliciter, si quid tamen omnino peccat. Ceterum hoc opus ex multis mihi potissimum delectum est, quod, quando haec parantur juventuti, tanquam a juvene scriptum magis resipiat scholasticam eloquentiam. tametsi non aliunde melius discent omnes, quam periculose faciant, qui sacerdotium aut episcopi dignitatem ambiunt, non reputantes secum, quam periculosam sarcinam in humeros sucipiant. Posthac enim, ut spero, diligentius attentiusque legetur, semotum a turba voluminum, inter quae hactenus ceu delitescebat. GERMANVS BRIXIVS in Arg. Dial. de Sacerdotio: *Copiosissime simul atque elegantissime declarat Chrysostomus, quam multae sit dignitatis, sed quam difficile tamen episcopum vere agere. Quem ipsum talibus ille coloribus depingit, totque ac tantis virtutibus perpolitum esse vult, ut si quis hodie episcopis nostris talem depingere velit, dispeream nisi futurum sit, ut cum sua tabula ut delirus rideatur atque exsibiletur. In tantum enim seculi nostri mores a priscae aetatis moribus degenerarunt, ut bona episcoporum nostratium pars (neque enim de omnibus id a me dictum esse velim) non solum non elaborent, ut tales ipsi sint, quales esse deberent; verum etiam ex professo animi sui imaginem diversissimam reddere studeant ab ea episcopi imagine, quam nobis divus Chrysostomus, hac quidem in parte Apellem ipsum superans, penicula suo artificiosissime atque elegantissime expressam reliquit. Quos ipsos tamen optarim ex tam alto illo otio, eoque veluti sedentario: in quo assidue desides inertesque vitam transigunt, descendere nonnunquam ad Chrysostomi aureum opus hoc lectitandum.* ANDREAS HYPERIVS lib. 4. de Theologo, c. 10: *De sacerdotii difficultate, dignitate, fructu non minus luculenter quam copiose aliquot libris orbi universo notissimis disputavit Joannes Chrysostomus toto orbe ob doctrinam et vitae puritatem celebratus* adde cap. 7. observ. 1. DAVID HOESCHELIVS in Dedic. ed. suae: *Inprimis jam inde antiquitus commendati sunt D. Joan. Chrysostomi de Sacerdotio dialogi; quibus argumentum hoc ut prolixe ita etiam accurate pertractatur: archiepiscopi, inquam, illius Constantinopolitani, quem θεοῤῥήμονα et χρυσοῤῥήμονα veteres*

appellarunt. — Quo consilio diversis in academiis hoc περὶ ἱερωσύνης opus, clariss. virorum auctoritate, saepius impressum et publice enarratum est. MAXIMVS, Cytherorum episcopus, in Elogio Graeco Chrysostomi, Dialogi hujus et Hoeschelii: *Ταύτην τὴν περὶ τοὺς λόγους τοῦ ἱεροῦ ἀνδρὸς δύναμιν κτλ.* i. e. *Chrysostomi doctrinam tot ejus scripta, atque haec de Sacerdotio collocutio clarius ostendit, (ἀφύκτοις τισὶ πειθανάγκαις συνηρμοσμένη) summa eloquentiae vi constans, et praeter sublimitatem rerum (quid enim sacerdotio librisque de illo sublimius est?) etiam (ῥητορικῆς χάριτος ὥραν ἀμήχανον) rhetoricae suavitatis pulchritudinem habens incomparabilem. cujus quanta sit utilitas, quum temeritatem male id dignitatis ambientium redarguat, et hos inexploratos ordinantibus gravissimas comminetur poenas, et, qualis debeat esse sacerdos, quantumque curae postulet negotium, quasi sub oculos subiiciat: res ipsa lectoribus demonstrabit.* CAESAR BARONIVS et BALDVINVS IVNIVS appellant *commentarium illum tam celebrem et aureos dialogos:* IS. CASAVBONVS, *opus pulcherrimum:* JAC. BILLIVS, *pulcherrimos libros:* CVNR. RITTERSHVSIVS, *aureum opus*, item, *eximium nec temere a Suida prae caeteris laudatum:* BERN. MONTEFALCONIVS, *eximium opus.* IDEM: *De dignitate et officio sacerdotum tam egregie loquitur sanctus doctor, ut hic liber omnibus semper admirationi fuerit.* HIERON. PLATVS ex S. J. Lib. 1. de Bono status religiosi, cap. 38. *Chrysostomus sex libros*, inquit, *integros de Sacerdotio scripsit, in quibus auream illam eloquentiam, unde nomen accepit, eo omnem contulisse videtur, ut ostenderet, quam arduam ac periculosam provinciam suscipiat, qui animarum gubernationem suscipit.* FRANC. JVNIVS lib. 2. Ecclesiastici sui, c. 2: *Qui plura de pastorum officiis volet cognoscere, legat, si placet, Chrysostomi libros de sacerdotio, et quartum Augustini de Doctrina Christiana, ut suum desiderium expleat.* IO. HOORNBEEK in Diss. de Controversiis praefixa Summae Controv. p. 36: *Commendo nostris hominibus, huic fini ut legant elegantissimos Chrysostomi libros, quos scripsit de sacerdotio. Christian Kortholten schwere Priester-Bürde,* Num. I. *Wie sehr den weltberühmten Kirchen-Lehrer Chrysostomum, der doch wegen seiner sonderbaren Beredtsamkeit, Hertzhafftigkeit und Eifer für die Ehre Gottes, vor vielen andern darzu geschickt war, für dem geistlichen Hirten-Amt gegrauet habe, solches ist aus seinen Büchern, die er von dem Priesterthum geschrieben, zu ersehen.* vid. etiam Num. 2. et 26. GEBH. THEOD. MEIERVS in Introd. in studium Theol. moral. cap. XI. §. 31. et ANDR. DAVID CARO-

LVS in Notitia patrum subiuncta Dallaeo contracto, p. 192. *Sunt de sacerdotio*, inquiunt, *libri sex, cui operi nescio quis non indoctus primam laudem tribuit, quod non alibi stilo sit usus grandiore, nec magis elaborato. scilicet ut Cicero in Oratore, ita noster in de Sacerdotio libris, quid posset, si vellet, experiri et nobis ostendere voluit. etc.* L. ELLIES DV PIN in Biblioth. script. eccl. T. 3. p. 30: *Excellunt maxime libri VI. de sacerdotio: neque exstat in antiquitate liber ullus, qui praeclarius loquatur de dignitate muneribusque sacerdotii etc.* G. M. LAVRENTII in Dedic. libri, *Wecker der Lehrer: Der Apostolischen Zeiten nicht zu gedencken, so muste zur Zeit, als die Kayser zum Christlichen Glauben sich gewendet, und die Lehrer, indem sie vor den Verfolgungen friede hatten, Ehre und gute Tage genossen, zur grossen Schläfrigkeit gebracht wurden, nach andern patribus auch Chrysostomus auftreten, und eine solche Schrifft unter dem Titul* de Sacerdotio, *welche, wann man sie lieset, in dem Hertzen eine rechte Bewegung verursachet, aufsetzen.* IO. HVGHES in Praef. edit. suae ad juventutem: *Habetis scriptoris elegantissimi opus omnium elegantissimum: in quo summa cum voluptate mirari liceat materiae dignitatem cum sententiarum pondere verborumque ubertate felicissime coniunctam. Dolebam vehementer, talem tamque utilem libellum vix nisi inter immensa Savilianae et Ducaeanae editionum volumina reperiri potuisse. — prima editionis adornatae ratio haec fuit, ut ex aureo hoc libello vera et germana sacerdotii Christiani et dignitas et auctoritas omnibus innotescerent. — Altera ratio, quae apud me valebat plurimum, haec erat: putabam fieri posse, ut, qui sacris operam dant, elegantissimi patris hujus lectione delectati, alios etiam priscae aetatis scriptores evolvere gestirent. — En quam modeste, quam sancte eloquens, et pietate vere Christiana flagrans, sacerrimum istud munus sacerdotii Chrysostomus describit; quam sacratis verbis illius dignitatem mirifice depingit; quam solicite difficilia ejus exponit; quam totus Dei amoris plenus, et quasi numine afflatus, tremenda illa Corporis et Sanguinis Christi mysteria repraesentat.* IO. CLERICVS in Biblioth. selecta, Tom. 21. in Recensione edit. Cantabr. primae: *Libri de Sacerdotio ita bene scripti sunt, quod ad stilum attinet, ut optimis Graecorum scriptoribus non concedant.* MICH. DE LA ROCHE in *Memoirs of literature*, Vol. I. Ann. 1711. in Recensione edit. Cantabr. secundae: *Excellens hic est de Christiano sacerdotio tractatus. S. Chrysostomus magnam praestat humanae naturae cognitionem: descriptiones ejus sunt vividae, observationes judicii plenae, moralia praecepta admiranda: et totus liber scriptus est*

magna cum perspicuitate atque elegantia. Multum debent omnes Thirlbio pro curata editione tam eleganti hujus operis. IO. HENR. BARTHIVS Theol. Argent. sive illo praeside I. FRID. ROLLWAGEN in Diss. qua Johannes Chrysostomus in officio suo sistitur, Anno 1716. *Chrysostomus in aureis suis de Sacerdotio libris et comment. ad Epp. Pauli pastorales ad Timotheum et Titum egregia* (de sapientia et doctrina ministro ecclesiae necessaria) *monita passim suppeditabit.* SCRIPTOR Hist. lit. infra (pag. 487.) laudatus: *Cum optima patrum scripta mature cognoscere, juventuti imprimis utile esse constet; studiis ejus non male consuletur, Chrysostomi libris de Sacerdotio justa cura adornatis.* Nec vereor, ut his omnibus subscripturus sit, quisquis dialogum vel ad Arndianam illam regulam Gerhardo per litteras traditam exegerit. *In libris seligendis, antequam emas,* inquit, *aliquot pagellas evolvito; et attende, an ex corde et conscientia tua loquatur auctor. si percellit animum, et penetrat sermo, vivus est et ex spiritu: sin minus, spiritus carnis ibi dominatur. Bone Deus, quanti hoc mihi constitit!*

Singulare vero quiddam hic dialogus habet, in quem longo tempore pressum limatumque auctor omnem florem cogitationum et orationum suarum, omnem usum rerum atque experientiam contulisse videtur: unde facile possit intelligi, quantum commodi lector bonus ac frequens in omnes partes inde sit capturus. In solitudine scriptum ab illo esse opusculum, aequalis ei Palladius auctor est; ut ex Palladii interprete Ambrosio Camaldulensi, si Symeonem Metaphrasten §. 7. citatum addas, satis firmiter evincitur: Socrates et ceteri magno consensu tradunt, Chrysostomum diaconum haec scripsisse. Vnde nihil de tempore statuit *Montefalconius* in Monito his libris praemisso: tantum eos negat audiendos esse, *qui volunt eo ipso tempore, quo res peracta est, haec scripsisse S. doctorem: si quidem vel ipsa ordiendi ratio aliquod elapsum tempus subindicat, et series tota rem meditatam et in otio adornatam prae se fert.* Veruntamen conciliari inter se veterum illorum testimonia possunt, si dixeris, in solitudine auctorem primas operis duxisse lineas, deinde domi id tenuisse et ab usu rerum pertexuisse. Sane interdum de se ipso pro monachi persona loquitur, et tamen subinde ita docet Basilium, ut multo plus ipse in rebus versatus. Idem quum Homiliam V. in Jesa. VI. habuit, libri de Sacerdotio sub incude erant. περὶ ἱερωσύνης καὶ ὅσον τῆς ἀξίας τὸ μέγεθος, ἐν ἑτέρῳ καιρῷ ΔΗΛΩΣΟΜΕΝ. Porro ubi in Homiliis locus aliquis copiose tractandus obvenit, aut verba bo-

nam cogitationem bene subsecuta sunt, tanta saepenumero apparet hujus dialogi similitudo, ut plane quicquid posset (cum homilias, quas alii excipiebant, non putaret endturas) in hoc opus, quod sub manu habebat ipse, induxisse videatur. Exempla sunt in Notis ad §. 183. 341. 414. 436. Virtutes vero et officia episcopi, difficultatesque et rationes iis occurrendi, quas describit, quam pulchre cum ipsius vita vitaeque actibus congruant, res loquitur: ut omni paene tempore, quo auctor floruit, natum opus, et unum totius Chrysostomi instar esse videatur. Quae cum ita sint, cumque libellus CXXV. annis in Germania separatim, quod sciam, non recusus magnam habuerit et raritatem et caritatem: *novam editionem* optimus quisque, ut spero, amplectetur. Quanquam eo praecipue cura nostra, Antistitum judicio comprobata, pertinet, ut alumni coenobiorum Wirtembergicorum habeant, quem in literis Graecis Novo Testamento adiungant. Namque huic lectorum generi proprie accommodatum possis dicere, quum, ipsorum Graecorum suffragiis, non minori rerum copia quam verborum delectu excellit, et collocutionis vicissitudine amoenus est, et perspicuitate sua ac brevitate invitat, et ad cognoscendam veteris ecclesiae faciem conducit, quodque maximum est, futuris Dei oeconomis vehementer prodesse poterit, ut seculi judiciis, quae nil nisi quod sacrum est contemnunt, contemtis, justam de sacra sua conditione existimationem, et muneris, cui parantur, dignitatem juxta atque gravitatem perpendere, virtutesque huc necessarias primo quoque tempore consequi curent.

Quae de opera mea huc collata exponi oportebat, horum bonam partem ad *Gregorii Thaumaturgi* Panegyricum, quippe non dissimili instituto praemissum, delibavi: nunc ea duntaxat, quae huc proprie pertinent, supplebo. Primum *sermonem Graecum* quam sincerissimum exhibere conatus sum: in quo *editiones* praecipuae, Basileensis, Augustana, Cantabrigiensis, Parisina, interpres Latinus perantiquus, membranae veteres accuratissimae, vehementer adjuverunt. Prima omnium vix jam nota editio Basileensis Anno 1525. prodiit cura Erasmi, non alibi fidelius ac Tubingae Anno 1548. recusa. nam prelum Rihelianum non levem admisit interpolationem, quae tamen, editore, ut fit, secundo, tertio, quarto, plus contextui ut libet excuso, quam codicibus MS. tribuente, in nitidissimis hodie haeret editionibus, postliminio a nobis ex ipso Basileensi archetypo dispuncta. Augustae Vindelicorum eosdem libros D. Hoeschelius Anno 1599. edidit, lectioni-

bus auctos duorum cod. MS. de quibus mox. dehinc toto Seculo XVII. et ultra, nullibi, quod compertum habeam, seorsum prodiere, donec Cantabrigiae Anno 1710. et 1712. Joh. Hughes et post hujus obitum S. Thirlby hoc curae, etiam iis, quae Saviliana et Ducaeana sive Morelliana editio habebat, compendifactis, cum magna reip. literariae approbatione susceperunt. *)

De Latini *interpretis* auctoritate potissimum ex aetate statuendum erit. Quamplurimos olim Chrysostomi monumentis interpretes obtigisse, antiqua manus ad Hieronymum de Script. eccl. c. 129. Erasmo laudata, et Isidori Hispalensis liber ejusdem argumenti testantur. Ac fuere ante Isidorum *Anianus*, de quo passim alii; et *Mucianus*, de quo vide Fabricium, Vol. 7. Bibl. Gr. p. 650. nec non Gesnerum Biblioth. append. f. 83. Erant causae, cur eundem Mucianum dialogi suspicarer interpretem; sed probabilius est, etiam citius Latinum esse factum, quippe quem ante cetera Chrysostomi scripta viguisse, ex imitatione Ambrosii (vid. infra, pag. 506.) et ex testimonio Hieronymi l. c. aliorumque patet. at nullus interpres dialogi vetus, nisi hic, usquam reperitur. Hunc certe et codex membranaceus Vindobonensis exhibet apud Lambecium, l. 2. Comm. pag. 787. et Trithemius in catalogo operum Chrysostomi allegat; ut verba interpretationis prima ab utroque notata ostendunt. Antiquitatemque non contemnendam vel adspersa aevi medii verba et loquendi genera, quae in Notis passim animadvertimus, vel semper *Johannis*, nunquam *Chrysostomi* positum in Dialogo ipso ejusque argumento nomen indicat. Hic igitur interpres Graecis codd. hodiernis fortasse omnibus antiquior, isque sine loci et anni mentione, id est primis typographiae temporibus excusus (nam in edd. Basil. anni 1504. et deinceps notabilia quaedam interpolata sunt) a Dignissimo Eslingensium Seniore *L. C. Dizingero* commodatus, nobis sane multum profuit. quamvis enim tanti non erat, ut sine consensu Graecorum codd. quicquam immutandum persuaderet; tamen sinceram lectionem eorundem paucitate interdum laborantem, archetypon ipse perbonum secutus, pulchre confirmavit.

---

*) Bengelius ex hac editione decerptas notas in commentario semper sub *Thirlbyi* nomine citat, quum tamen *Joh. Hughes* earum notarum auctor fuerit. In ultimis demum plagulis animadvertisse videtur suum errorem, ubi semper citat *editionem Cantabrigiensem* 2. Vid. *Hasselbach.* l. l. pag. LII. *L.*

Longe vero plurimum opis attulerunt *membranae Augustanae*, et idonea manu et eo tempore perscriptae, quod aliquanto propius, opinor, a Chrysostomo abfuit quam nobis. Eas quum ex inclytae Reip. Augustanae bibliotheca, pro avita suae civitatis longeque patente liberalitate in studia optima, proque sua singulari humanitate nobis indulsisset quem supra laudavimus, *P. J. Crophius*, post adhibitam ab Hoeschelio, quem tum quidem Photius tenebat, industriam, accurate contuli: nec sane in mustaceo, ut ajunt, laureolam quaesivi, quantivis pretii lectionibus nunc primum exortis. Porro ipse quidem editor ille eruditissimus non paucas Augustani hujus, et Palatini, quem appellat, codicis, ab expedita sed luxuriante manu profecti, lectiones in suum conjecerat contextum atque marginem, lectori delectum relinquens: Saviliana autem et quae hanc secutae sunt editiones, Palatinum nescio quare praetulerunt; tantum Morelliana, primam secuta, rectius iter tenuit. Nunc ipsi Augustano suum tandem locum tribuimus, praesertim quum multis, iisque gravioribus in locis cum illo et prima editio, et interpretatio vetusta, idoneo sinceritatis argumento, nec non alii codices MS. egregie conspirarent.

Tali modo non temere confidi sanitati contextus putavi: multis non putavi satisfactum fore, nisi illum etiam Chrysostomum, qui Lutetiae cum ingenti operum hujus patris accessione prodit, adhibuissem. Omnes vias persecutus, potiri eo non potui, donec ipse celeberrimus editor, *Bernardus Montefalconius*, partem necessariam humanissime misit, opportune, quum a libro quinto ad sextum transiret typographus, redditam. Decem codicum lectiones ad hunc ille dialogum dedit, contextum nostrum pulchre confirmantes. de Notis, res erat in integro; ad quas a margine Montefalconiano multa laudabilia sunt profecta: unde lectiones postliminio nobis vel cognitas vel probatas lector sedulus ad contextum §. 3. 28. 46. 273. 281. si videtur: (addo, §. 100. 317.) magis etiam ad §. 89. 103. 106. 120. 162. 184. 285. 355. 369. 375. maxime vero ad §. 256. 455. velim traducat.

Contextui sic recognito nova respondet *interpretatio Latina*, non solum eorum commodo addita, qui cum Graece non didicerint, tamen ex Graecis per interpretem doctrinas optimas hauriri posse intelligunt; sed etiam eorum, qui per Latium in Graeciam tendunt. Plures quidem interpretes nactus est hic dialogus, quam ullum fortasse ullius patris Graeci scriptum. Est *anonymus* vetus, de quo supra: est *Jac. Ceratinus*: est *Germanus Bri-*

xime. Ac praeclare de Brixio, Vives lib. 2. de corruptis artibus; de ejus interpretationibus, Sadoletus in Epistolis et fastidiosissimus Erasmi Ciceronianus; de interpretatione dialogi, Jovius in Elogiis, existimant: sed vere de hac ipsa judicat *Montefalconius*, aliquam elegantiae speciem prae se ferre, paraphrasin autem sapere, neque ita accurate concinnatam esse. Idem novam paravit: novam, illius ignarus, ego quoque; partesque extremas ex Montefalconio, ut allatus est; priores libros, ex Ceratino; omnes ex veteri interprete, qui sane in sordibus aurum habebat, et e Brixio ipso, ejusque interpolatoribus bene multis (nam Germanus aberat), limavi. Auctorem nec nimis presse nec nimis laxe sequi debet interpres, ac plane talem praestare sermonem, qualem vellet esse vel auctor, si interpretis lingua ipse scriberet; vel interpres, si non interpres sed auctor esset ipse, interprete utens; vel lector, auctoris linguam ignorans, interpretis callens. Talisne nostra sit interpretatio, statuant, qui valent: ad proprietatem certe verborum, cujus studium juventuti quam commendatissimum esse debet, non nihil eam collaturam esse spero.

Subsequuntur *Notae* atque *Indices*: de quibus quae monenda erant, sub ipsa eorum initia videbis. *Divisionem* librorum in capita pristinam servavi: sed dialogum praeterea in minores divisi sectiones, quarum numeri non in quemque librum ad monada redirent, sed perpetua serie per totum sermonem, quo simplicior foret notandi et evolvendi ratio, decurrerent.

Omnibus, qui aut suos produnt libros, aut alienos lectori accommodant, cavendum est, ut ne auctor aliquis in eo genere melior, et quem divina bonitas jam veris insignierit fructibus, obruatur et antiquetur: providendum autem, ut omnia quam maxime ad aedificationem faciant. Id si nobis propositum esse, Lector, pro tua prudentia et aequitate agnoscis, ipsum dialogum probatissimum, et ea quae damus, quaeque paramus, amplectere: Deum vero mecum ora, ut ipse juvenes sibi dicatos doceat ad pulcherrimam ideam, quam Chrysostomus Basilio, quam Apostoli omnibus proponunt, suos exigere animos, ecclesiamque opera eorum ubique sibi dignam, quae Christi corpus appelletur, constituat.

BENGELII PROLEGOMENA.

Licet editiones veterum, B. L., subactissimi hodie viri hoc nomine commendatiores esse debere censeant, quod *sine Notis* sint; et revera omnibus locis inculcare, quicquid in eandem sententiam fere protritam, aut similibus verbis saepe quotidianis dixerunt alii, supervacaneum sit: sed tamen quae auctoris cujuspiam praeclari sermone identidem tractato tandem animadversa collegeris, iis in medium prolatis vel primam aliorum lectionem sublevari, simulque observationes utiles quarumlibet rerum, quas nullo commodiore loco posses producere, interseri, plurimum refert. Atque hos ipsos libros notis professa primus opera instruxit Hoeschelius, de quo sic existimavit *Joh. Kirchmannus* l. II. de Fun. Rom. c. 10, ut ipsum *fugientium Graecarum literarum strenuum vindicem*, et has eius *notas in aureum hunc scriptorem optimas* vocaret. Hunc ceteri in hac quoque parte secuti sunt editores, quos supra laudavimus: praetereaque multi viri docti testimonia hujus dialogi in loco laudarunt, aut vindicarunt, aut alias opportuna scripserunt. Omnia, quae occurrebant, compendifecimus: plura nova addidimus: in criticis parciores fuimus. Etenim optima quaeque et certissima contextus noster repraesentat: cetera ejusmodi sunt, ut neque constitui quicquam in ancipiti librorum testimonio possit umquam, neque, quicquid tandem in aliam partem constitueris, aut ad sententiae salubritatem, aut ad verborum vim, vitii quicquam sit facturus. Ea interim attigimus, quorum post Montefalconianam messem non ineptum videretur esse spicilegium. At sermonis Graeci vim ipsam declarare, interdum etiam interpretationis Latinae rationem reddere, nostrum esse duximus. Rebus satis habet ipse dialogus;

quibus bonae mentes, verborum subinde intermissa cura, studium dabunt. Veteris tamen ecclesiae vestigia, salutaresque de animarum gubernatione doctrinas non putavimus plane dissimulari debere. Ex iis, qui antiquorum scripta commentariis augent, alii sermonem auctoris sui tanquam aream colunt, cui de suis facultatibus quam plurima superaedificant; alii tanquam fundum, cui ea inspergunt, quibus opus est, ut ipse quam plurimum fructum ferat: atque hos potius imitamur nos, eas demum officio fungi annotationes rati, quae lectorem non per se exsatiant, sed ad auctoris mentem accuratius perspiciendam intromittunt. Unum haud scio an vereri debeam, ne cui brevitas restrictior interdum, quam pro juventutis captu videatur. Certe in *Notis ad Epistolas Ciceronis* id nonnullos, fortasse quia praefationem structuramque operis illius minus cognorunt, desiderare sentio. In hoc quidem Dialogo plus spatii fuit nobis; sed si vel nunc Laconismum invenerint aliqui, cogitent velim, nil hunc obesse in iis partibus, quae ad provectiores pertinent: ceteros ad cetera eo praesentiorem et explanatiorem habere vocem magistri; nec tamen non expedire, auditores legitima scriptorum brevitate ad cogitandum et consulendum assuefieri. Si cui apparatus omnis minus arriserit, contextum certe, quo solo plerique pascuntur, genuinum et emendatum vel sibi vel aliis praesto esse agnoscet, et Chrysostomo ejusque causa nobis quoque, ut speramus, favebit.

AD INSCRIPT. JOH. CHRYSOST. DE SACERDOTIO.

De *Johanne*, maximeque de ejus vita et vitae scriptoribus copiosissime agit *Jo. Alb. Fabricius* Lib. V. Biblioth. Grae. 15. Parallelismum vitae Ciceronis et vitae Chrysostomi, salvo Christianismi discrimine, dedit *Ant. Possevinus* Lib. XVIII. Biblioth. cap. 13. Praecipuos nervos habet *C. E. Weismanni* H. E. Sec. IV. §. 29. Pro dialogi intelligentia notetur patria Antiochia: pii parentes: studium juris eloquentiaeque; dehinc, Basilio ordinato, vita solitaria: munera in ecclesia patria: archiepiscopatus Constantinopolitanus: mansuetudo in homiliis: gravitas in actionibus

praesertim quo clericos et monachos in ordinem redigeret: in persecutionibus, firmitudo animi usque ad mortem. De eloquentia, quae ei viventi apud populum, serius apud scriptores *Chrysostomi* appellationem et cognomen peperit, veterum recentiorumque collecta dedere Testimonia praeter ceteros *Tob. Magirus* in Onomatologo, *J. Jac. Hofmannus* in Lexico, *Guil. Cave* in Historia literaria, *Thom. Crenius* in Dissert. de Singularibus scriptorum, *B. Hedericus* in Notitia auctorum. Ipsius operis hujus elogium in Praefatione delibavimus. [Cf. *Schroeckhii Christl. Kirchengesch.* T. X., p. 245 — 490. *Crameri* versio vernacula operum Chrysostomi (Lips. 1748.) p. 1 — 96, ubi vita Chrysostomi narratur. *A. Neandri*, theologi Berolinensis: *Der heilige Joh. Chrysostomus.* (Berolini. 1821. T. I. II.) L.]

Non raro veteres Graeci et Latini suos ipsi libros Summariis auxere. Exempla collegit *Casp. Barthius* ad Claudianum Mamertum p. 456 seq. Pleraque tamen ejusmodi lemmata ab aliena manu fluxisse, et res loquitur, et eruditi censent. Vide, de Macario, quae ad illum praefatur Celeb. D. *Pritius*; de Canonibus conciliorum, quae habet *Suiceri* Thes. Tom. II. col. 1535. de Gellio, ex cujus tamen persona scriptae sunt epigraphae, Noctes *H. Stephani*; de aliis, *Sanctii* Minervam, lib. 3. c. 14. cum annot. *Scioppii.* Optimo jure addideris indices capitum hujus dialogi: qui etsi non semel Chrysostomum ipsum loqui faciunt; tamen a lectore quodam olim, vel potius a lectoribus pluribus, non uno tempore (tanta est in libris varietas) concinnati, imo Latina prius quam Graeca perscripti videntur. Namque ubi vetus interpres in lemmatibus *Johannis* nomen posuit, ibi Graeca *Chrysostomum*, non sane Chrysostomo auctore appellant. Hoc ideo monendum erat, ne quis, quae viri docti v. gr. in Argumento Libri IV. reprehendunt, ea in ipsum auctorem conferret; neve argumentum operis, haec lemmata cum legisset, satis se percepisse existimaret. Nos singula capita, eorumque cohaerentiam, observato ipsius Dialogi filo, delineare conati sumus, ut operis formam lectores planius cognoscerent et saepius respicerent. [„Solebant antiqui scriptores libris suis indicem capitulorum praefigere, ut lectores, quid in singulis libris tractaretur, uno quasi intuitu agnoscerent. Id autem

duobus modis praestare consueverant. Nam aut omnium simul librorum capitula universo operi praeponebant, sicut a Plinio Secundo factum est in libris Historiae Naturalis, aut singulis libris titulos capitulorum praefigere solebant, ut in Historia Ecclesiastica fecit Eusebius." *Valesius* ad Euseb. H. E. I, 1, 3. *Hein.* L.]

SYNOPSIS. Sex libris exponitur

ℵ *Johannis et Basilii status.*

α Amicitia, Lib. I. §. 1. 4. *et consilium augendae consuetudinis* 9 *intercessione matris* 10 *non fractum plane.* 23.

β Superveniens rumor de utroque adolescente ad munus sacrum producendo 24 *et Johannis anceps metus.* 25. *Basilii communicatio consilii.* 26. *Johannis simulatio et recessus.* 27. *Basilii capti* 28 *moeror.* 31.

ℶ *Collocutio ipsa.*

α Basilii expostulatio. 32—53. *cujus Summa est haec:*

1. *Laesisti fautores.* 32. 37.

2. *Laesisti me.* 40.

β. Johannis satisfactio (*quam Basilius saepe interpellat:* 65. 81. 122. 123. 126. 138. 143. 149. 151. 152. 173. 254. 341. 364. 413. 549. 568. 571.)

1. Non laesi te 54. nam

a. Dolus salutaris non improbatur. 57. 60. 63. 74.

b. et meus dolus est tibi salutaris, *LIB. II.* §. 80. parata occasione demonstrandi amoris erga Christum, maxima habentis praemia. 82. Etenim cura gregis est signum illius amoris: est enim negotium maximum. 91. 100. cui quidem ego negotio imparem me novi 122 te vero parem 132 et amore praeditum 141 et prudentia. 150.

2. Non laesi fautores. 152. nam

a. *Non feci*

1. *per injuriam.*

α Adde omnia Dei offensa vitari debet. 153.

β fuga mea nil ignominiae illis affert: obsequium attulisset infamiam. 154.

2. *per elationem animi*, LIB. III. §. 164. *aut gloriae cupiditatem.* 170. *nam ejusmodi munus fugi, quod*

α Habet summam dignitatem 175—198 *in administranda S. Coena* 177. *simulque potestatem utilitatemque* 181 *in usu Clavium* 182 *regeneratione nostri* 187 *et liberatione a peccatis* 190 *summam.* 194.

β *Requirit (quae ego non habeo: 205. 210. 220. 223. 238. 242. 243. 244. 255. 267. 268. 340.) Virtutem summam.* 199. 207. *et speciatim*

a. *Immunitatem a vana gloria,* 211. 217. *et a Cupiditate muneris.* 224.

b. *Acrimoniam mentis* 241 — 340. *qua possit sustinere*

1. Affectus violentos. 245.
2. Oculos multitudinis. 256.
3. Invidiam proximorum. 262.
4. rixas eorum, qui suffragia ferunt de Dignitatibus sacris. 271. 288.
5. curam Viduarum 296 Hospitum et aegrotorum. 312.
6. custodiam Virginum sacrarum. 314.
7. munus Judiciale et consuetudinem quotidianam. 326. 329. 333.

b. *Sed feci per timorem (cujus timoris justae* mihi *sunt caussae:* 344. 365. 388. 448. 453. 489. 497. 523. 539 s. 552. 568 s. 579 — 595. 599. 620.) *quem*

α *Non sublevat vis adhibita,* LIB. IV. §. 341 — 388. *quum, ii, qui indignum cogunt, ipsi peccent.* 369 — 379.

β *Efficit rei magnitudo* 389 *requirens*

1. *Doctrinam* 394 *in Certaminibus pro veritate* 395 *adversus externos* 396 *et domesticos* 409 *summe necessariam.* 413. 422. 434. 440. 445.
2. *Dicendi vim, quae in Concionibus,* LIB. V. §. 449 *perversa curiosorum, imperitorum, invidorum judicia vincit generoso animo et legitimo studio.* 450. 468. 485.

γ *Acuit reddenda ratio,* LIB. VI. §. 496 — 503 571 — 578. *nam difficilius est, bonum agere episcopum quam monachum, quia*

1. *in sacerdote major esse debet ac magis est necessaria*
   a. *Sinceritas.* 504 — 524. *respectu*
      1. *Populi, regendi.* 506. 510. 515.
      2. *Dei ipsius,* 517. *quod attinet ad Preces,* 518. *et ad Eucharistiam.* 519.
   b. *Prudentia.* 525.
2. *Labor est*
   a. *Monachi minor:*
      1. in victu. 531.
      2. in solitudine. 537.
   b. *Sacerdotis major: in quo*
      1. Nil juvat vita a negotiis remota. 545.
      2. Sed requiritur animi virtus summa. 548. 556. 568 — 570. 579. 589.

δ *Amplificat* 590 *comparatio nymphagogi* 596 *et ducis.* 599.

γ *Exitus.* 621 — 624.

Conferri cum hac synopsi potest *Felicis Wyssii* selectiorum de munere *pastorali* locorum Centuria ex *Chrysostomi* operibus excerpta: ubi ex hoc ipso dialogo adhibuit lemmata, 118. 119. 271 ad 275. 279 fere ad 287. 329. 402. 460 ad 463. 526 ad 529. 557. 558. 573 ad 576. 591 ad 594. Adjecti sunt eidem Florilegio *Rhythmi veteres Latini*, *Ideam pii ecclesiastae* exhibentes, quos Arnoldus *Ideae doctoris evang.* P. I. c. VIII. §. 12. ex aliqua parte; Rechenbergius *Schediasmati de Prudentia et decoro ecclesiastae* p. 190 s. et Hierolexico tit. *Pastor* p. 1214 seq. totos inseruit hoc loco a nobis eo minus inserendos. Nam ad Chrysostomum venimus.

ΠΕΡΙ ΙΕΡΩΣΥΝΗΣ

ΛΟΓΟΣ Α.

Τάδε ἔνεστιν ἐν τῷ α΄ λόγῳ.

Ἐμοὶ πολλοὶ μὲν ἐγένοντο φίλοι [1]) γνήσιοί τε καὶ ἀληθεῖς, καὶ
τοὺς τῆς φιλίας νόμους καὶ εἰδότες καὶ φυλάττοντες ἀκριβῶς·
εἷς [2]) δέ τις τουτωνὶ τῶν πολλῶν, ἅπαντας αὐτοὺς ὑπερβαλ-
λόμενος τῇ πρὸς ἡμᾶς φιλίᾳ, τοσοῦτον ἐφιλονείκησεν ἀφεῖναι
κατόπιν αὐτούς, ὅσον ἐκεῖνοι τοὺς ἁπλῶς πρὸς ἡμᾶς διακει-
μένους. Οὗτος [3]) τῶν τὸν ἅπαντά μοι χρόνον παρηκολουθη- 2
κότων ἦν. καὶ γὰρ μαθημάτων ἡψάμεθα τῶν αὐτῶν, καὶ δι-
δασκάλοις ἐχρησάμεθα τοῖς αὐτοῖς· [4]) ἦν δὲ ἡμῖν καὶ προθυ-
μία καὶ σπουδὴ περὶ τοὺς λόγους, οὓς ἐπονούμεθα [5]), μία·

1) *πολλοὶ — φίλοι.* Inter intimos Chrysostomi amicos referuntur a Socrate H. E. VI, 3. Evagrius, Theodorus et Maximus. Cf. *J. A. Cramer. Vorbericht zu den 6 Büchern vom Priesterthume.* T. I, p. 13. et *J. Ritter. Des heil. Chrysost. sechs Bücher v. Priesterth.* p. 186. sqq. *L.*

2) *εἷς.* Basilium et Chrysostomum *inter rara illa amicorum paria merito liceat numerare, Jac. Ceratinus.* Observandum sane juventuti est hoc boni condiscipulatus contuberniique exemplum; qualis etiam Gregorii Basiliique fuerat, illorum, quorum alter Theologi, alter Magni cognomine postea insignitus est.

3) *οὗτος.* Satis hac narratione Johannes et suum et amici characterem describit; addi tamen potest de Basilio §. 40. 345. de Chrysostomo, §. 29. 157. 158, et de utrovis omnes ii loci, ubi a thesi ad hypothesin descenditur, quos paulo ante in *Synopsi* notavimus.

4) *διδασκάλοις — τοῖς αὐτοῖς.* In philosophia nempe interfuerat Chrysostomus scholis Andragathii, viri caeteroquin ignoti, et in rhetorica audiverat Libanium, cujus scholas, teste Socrate H. E. VI, 3. una cum Evagrio frequentaverat. Cf. *Cramer.* l. l. p. 6. *Ritter.* l. l. p. 188. *L.*

5) *λόγους, οὓς ἐπονούμεθα.* Dicitur *λόγους πονεῖσθαι,* et *αἱ περὶ λόγους πόνοι,* Paraen. I, cap. penult. et *ἡ τῶν ἔξωθεν λό-*

ἐπιθυμία τε ἴση καὶ ἐκ τῶν αὐτῶν τικτομένη πραγμάτων. Οἱ γὰρ ὅτε εἰς διδασκάλους 6) μόνον ἐφοιτῶμεν 7), ἀλλὰ καὶ ἡνίκα ἐκεῖθεν ἐξελθόντας βουλεύεσθαι ἐχρῆν, ὁποίαν ἑλέσθαι τοῦ βίου βέλτιον ἡμῖν ὁδόν· καὶ ἐνταῦθα ὁμογνωμονοῦντες ἐφαινόμεθα.
3 Καὶ ἕτερα δὲ πρὸς τούτοις ἡμῖν τὴν ὁμόνοιαν ταύτην ἐφύλαττεν ἀῤῥαγῆ καὶ βεβαίαν 8). οὔτε γὰρ ἐπὶ πατρίδος μεγέθει 9) ἕτερος ἑτέρου μᾶλλον φρονεῖν εἶχεν· οὔτε ἐμοὶ μὲν πλοῦτος ὑπέρογκος ἦν, ἐκεῖνος δὲ ἐσχάτῃ συνέζη πενίᾳ· 10) ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς

γων ματαιοπονία. §. 158. Valde jungit amicos *labor* communis. Debilior lectio, οὓς ἐποιούμεθα. [Attamen in multis Cod. invenit *Montefalconius* οὓς ἐποιούμεθα, et cf. Isocrat. Evagor. c. II. ab init. *L.*]

6) εἰς διδασκάλους. εἰς διδασκάλου, conjecit *Hoeschelius*, ellipseosque frequentiam exemplis comprobavit. At nostri multos habebant διδασκάλους· neque itiones denotantur singulares, sed totum tempus, quo magistris utebantur, cui opponitur ἐκεῖθεν ἐξελθόντας. Nec minus apte εἰς valet *ad*. Aristoph. εἰς φειδωλὸν εἰσέρχομαι. Alciphron. εἰς τὸν ἄνδρα ἐπάκμθι. [Eandem lectionem, quam defendit *Bengelius*, habent etiam *Fr. Ducaeus* et *Montefalconius*. *Savilius* contra, quem secutus est *Joh. Hughes*, legit εἰς διδασκάλου. Cf. *Zeune* ad Viger. p. 593 sq. *L.*]

7) ἐφοιτῶμεν. *Cum scholis publicis tunc fere non nisi gentiles praefuerint; facile inde conjicere est, multum vanitatis cum his studiis Chrysostomum imbibisse; tamen ab his didicit, ut, cum dein vanitate abjecta, studia haec serio Deo sacraret, eo dilucidius cum suis loqui potuerit.* Argentinens. Diss. cit. [Caeterum de hoc verbi φοιτᾶν usu, quo dicitur de discipulis in ludos itantibus vid. Xenoph. Cyrop. I, 2, 6. Thom. M. s. h. v. *J. F. Fischer*, in Indice ad Aeschinem Socraticum et quae nos nuper notavimus ad Plat. Criton. I, 9. pag. 6. *L.*]

8) καὶ ἕτερα δὲ — ἀῤῥαγῆ καὶ βεβαίαν. Tres codices καὶ ἕτερα ἡμῖν ἐφυλάττετο ἀῤῥαγῆ τε καὶ βέβαια, quae lectio non spernenda. *Montefalconius*. Sic quoque Hoescheliani, δὲ πρὸς τούτοις retento.

